ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

5

Perillustris domine

Heri adfui Egmondae nobilissimo Cartesio non ita pridem
e Gallijs suis cum nobili quodam qui et ipse abstemius et
vinum odit ὄφεως ἔχιδνα πιόντος, e diverso. commodabam ipsi multum
invitanti admittentique operam dentium, ut soleo satis commodus
atque impenetrabiles esse convivator, praesertim apud istius farinae
hospites quorum coenae ut Platonicae etiam postridie sapiunt.
Eramus, quod dies Veneris esset ἰχθυοφάγοι; lanijs tum qui-
dem frigere ac plorare jussis. post haustam salutem tuam
quam ausus fuit et instituere et praelibare Cartesius,
rogitabam discedens, si quid vel ipse scribere et mihi
curandum committere vel suis verbis scriptum vellet.
negabat tum quidem quicquam velle nisi ut salutem
tibi ac suam observantiam sua obsequia tibi adscriberem
sed propediem per nobilissimum Bergeum dominum Hagi-
tiridatem (ut ita loquar) prolixas literas exaraturum
multum ridebat albis dentibus Theologi Leidensis nuper-
rimum horribilem in te libellum, quem responso imo
risu suo vix dignabatur. Ego ad haec tacui, negabam
enim mihi lectum quicquid hoc libelli tandem est, adeo
ut calculum non possim interponere. Et illa qui-
dem hactenus. Nunc pace tua perillustris
domine, (quam ab ista prolixissima morum tuorum
comitate ac facilitate impetrasse confido priusquam
dum orandum) molestus esse cogor humanitati tuae
hominis honestissimi amicissimique caussa. Est is
Cornelius Ryp, patricius Alcmariensis in urbe patria
caussarum patronus et Tactorum thesaurarius, quod
munus modo apud te, tua apud celsissimum principem
τὸν μακαρίτην commendatione annum jam obtinet:
idem opera tua ~~biennium~~ quadriennium obtinuerat Andreas Scagius
ὁ μελιχρότατος ille, quem hic noster Ryppius excepit.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4717

quare unice te rogamus obsecramus ut quod in altero anneo prorogasti mihi beneficium in hoc continues et id agas apud novum Augustum Arausionensem eandem Mecoenas, ut a Patre indultam fuit optimo integerrimoque viro, et partem in hunc annum proximum fuicatur. praesertim cum sine exemplo hactenus sit ut ~~qui~~ quis citra causam sonticam in hac urbe Thesaurarij munere intra primum annum decedere jubeatur. Sed tamen cum quotannis electio totius magistratus sit penes Principem, et penes eundem utique dignitatis quoque huius vel nova collatio vel indulta continuatio nullum morem consuetudinem nullam, jus nullum quo possumus obtendere, ~~sed~~ sed quicquid hoc est a tuo favore, a Celsissimi Principis clementia ac benignitate implorare, sperare, imo polliceri nobis audemus. In quo felici omine desino.

Plurimum salutat te pater meus cui dirus Hydrops crescit indulgens sibi, quique et tussi et febri identidem laborat, lento denique morbo senium (utinam falsus sim) conficitur et contabescit. Salutem ejus deo immortali, meam tibi post deum immortalem commendo

Alcmariae
ipsis idib. Decembr. 1647.

Illustris domine

tuus omni nomine

Bruno.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4717

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4717

Mijn Heere

Mijn Heer van Zuijlichem, etc.
Ridder, raed en Secretaris
van Sijn Hoogheijt

In 's Graven Hage.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4717